



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 97. Tria hoc negotium expediendi media a Legatis summo Pontifici
proposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.
A C. 1562.
Episcopi fuisse a Deo institutum haud negarent, sed duntaxat dicerent, Episcopos in præsentem non eos esse, de quibus loquuntur Sacra Oracula, utpote non exercentes ministeria illic ipsis destinata: ast hæc verba multis difficultatibus obnoxia videbantur, ideo postea subjunxit: Legatorum non esse studium, ut omnes diversas hæreticorum opiniones proscribant, sed ut artes evitent, quibus nonnulli quæstionem de jure residendi suscitare, ac definitionem extorquere niterentur, cum tamen circa illius decisionem Rex Catholicus suam mentem, ac votum jamjam declarasset.

§. XCVII.

*Tria hoc negotium expediendi media
a Legatis summo Pontifici
proposita.*

*Pallav. c. 12.
n. 13. & 14.* **E**x omnibus hisce controversiis Legati haud obscure colligebant, quod Patres simul articulum de Institutione Episcoporum unacum articulo de Residentia decidi vellent, cum autem, quid hac in re consilii caperent, adhuc suspensi hærerent, hinc nuntio ad Borromæum Cardinalem misso, eidem tria exponebant media, ac quodnam ex illis magis expediret, ab eo sciscitabantur: porro eorum primum eo tendebat, ut Synodo proponeretur, quatenus ea totum

Sæcul. XVI
 A.C. 1562.

tum negotium ad summum Pontificem remitteret: verum nec ea res difficultate carebat; alii enim existimabant, totam causam Pontifici esse committendam, nec forte potissima Patrum pars huic opinioni favebat: alii tamen censebant, quod quæstio prius esset decidenda, demum vero Pontificis iudicio relinqueretur, an se vel pro hac, vel illa parte declarare velit: si vero priorum opinio prævaleret, tunc Legati duo adhuc alia proponebant media, quorum primum erat, quod nunc, cum jam antea Calicis negotium Pontifici commissum fuisset, pejorem in partem a Patribus acciperetur, si hæc alia pariter quæstio eidem relinqueretur, tunc videretur Concilium ab omni arduo manum subtrahere, & cujusdam Canalis instar omnem gravioris deliberationem ab eo Romam deferri: alterum erat, quod hujusmodi decreto plusquam quadraginta Episcopi obsisterent, eorumque repugnantia, tametsi magni habita non fuisset in priori decisione circa calicem, nunc tamen videretur plurimi faciendâ, eo quod hæc secunda quæstio ad Papam remitteretur, nec non Galli fortasse ante Sessionem, adeoque ante firmata Decreta venirent, qui adversariis accedentes, numero, atque

E e 3

aucto-

Vol. I. 18.
 c. 17. n. 1.
 III. B. 1.
 de Calice.
 12. Octob.

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

auctoritate non modicum ipsis robur addituri forent.

Alterum, quod prius proponebant Legati, consilium eo collimabat, ut residendi necessitas in Synodo proponeretur, ac illis, qui ejusmodi legem essent transgressuri, poenæ constituerentur, & contra illis, qui sese submitterent, privilegia concederentur, hocque pacto hujus decreti observatio metu, ac spe urgeretur: porro inter poenas nonnulli optabant, ut interdiceretur absolutio non residentibus concedenda. Tertium denique medium eo vergebat, ut plures Episcopi Legatos efflagitarent, quatenus ipsorum nomine rogarent Synodum, ne hæc gravaretur, ad amovendam perturbationem, discordiam, & moras, totum negotium Pontifici remittere: porro hæc forma decentior apparebat, quam si legati propositionis auctores secundum primum consilium viderentur.

§. XCVIII.

Responsum Pontificis ad tria hæc media.

*Pall. l. 18.
c. 13. n. 1.
litt. Borr.
ad Legat.
12. Octobr.*

Accepto hoc Legatorum consilio Pontifex mox ad Legatos suos hæc rescribi iussit: „hoc negotium jam antea vestræ commisi prudentiæ, quoniam vero meam rogatis sententiam, constultissimum censeo, si sanciatur consilio.